



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Sect. 1. Sententia adversaria proponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 397

ad omnem novam deliberationem, & praeterea quavis fortasse mutatio propositi imprudenter facta possit accidere sine augmento cognitionis, non tamen prudens; unde cum in Deo nec imprudens mutatio esse possit, nec augmentum cognitionis, ut prudenter fieret talis mutatio relinquatur nullo modo in Deo esse posse.

Alia tandem ratio reddi posset de indivisibilitate instantis, sed quia parvi momenti est opere praeiudicium duxi illam relinquere.

Ad ultimum argumentum concedo maiorem, & nego minorem; nam licet Deus ita amet, & possit non amare nihilominus tamen non potest absolute dici, quod actus liber Dei possit esse, & non esse absolute, & formaliter, solum enim dicimus, posse esse, & non esse aequivalenter; quia indifferens est deus ad amandum, & non amandum; quapropter cum ex vi libertatis habeat indifferentiam ad volendum, & nolendum &c. ideo actus volendi, & nolendi possunt esse & non esse aequivalenter; quae contingentia virtualis, aut aequivalentia non convenit Deo respectu Paternitatis, quia non est praedicatum liberum, sed omnino necessarium; quia constitutio Patris omnino necessaria est sine libertate, & indifferentia; unde non mirum quod neque virtualiter, neque formaliter possit definire esse Paternitas; & contra vero licet actus liber Dei non possit definire esse formaliter, quia est Deus, potest nihilominus virtualiter definire, quia est liber, & ad libertatem requiritur contingentia in creatis formalis propter imperfectionem creaturæ; in Deo virtualis propter summam perfectionem divinitatis. Quapropter si fingatur in Deo respectu Paternitatis suppositione impossibili, contingentia virtualis eo modo, quo concedimus eam in actu libero posse esse, & non esse aequivalenter sine vlla additione, & diminutione formali; & solum virtuali, in quo assimilaretur Paternitas actui libero; si autem concederetur contingentia formalis in Paternitate divina, in eo casu (qui maiorem impossibilitatem includit, quam prius, quia tum fingit paternitatem divinam esse liberam, cum ex se sit omnino necessaria tum tribueret illi contingentiam formalem ad essendum & non essendum formaliter, quae maximam imperfectionem inuoluit, quam non includit contingentia virtualis) sine dubio concedenda essent additio, & diminutio formalis; sicut etiam concedi deberet in actu libero si haberet contingentiam formalem; sed quia in praesenti non habet illam, sed potius loco illius contingentiam virtualem, aut aequivalentem contingentiae formali creatæ, ideo in Deo nulla datur additio, aut diminutio formaliter, sed solum aequivalenter, & sic concedimus nullo modo sufficere ad constitutionem Dei in esse amantis libere divinitatem præcise ut sic, sed potius esse necessariam additionem volitionis liberæ supra divinitatem virtualiter, & aequivalenter.

Ad confirmationem ultimam respondeo, verum esse quod quando non datur in Deo effectus, vel quasi effectus formalis alicuius formalitatis, necessario deficiat ratio formalis secundum exigentiam talis rationis formalis, quia nunquam datur ratio formalis in subiecto capaci quia constituit illud in tali esse quia autem constitutio Dei potest dupliciter esse, aut per formalitatem creatam uti est unio hypostatica, quæ constituit Verbum divinum in esse uniti, aut per formalitatem increatam qualis est actus liber, dupliciter potest deficere formalitas aut aequivalenter, aut

formaliter si sit increata formalitas solum aequivalenter; si autem sit creata formaliter, quia unumquodque praedicatum debet deficere secundum contingentiam propriam: ergo si actus liber Dei non habet contingentiam formalem, sed aequivalentem & unio hypostatica habet contingentiam formalem; hæc formaliter, illa aequivalenter deficiet esse.

QVÆSTIO III.

Virum contingentia virtualis sufficiat ad actum liberum Dei?

SECTIO I.

Sententia adversaria ponitur.

PRIMA sententia docet, etiam si detur distinctio virtualis, & aequivalentiæ in Deo, ratione cuius verificantur praedicata contradictoria respectu intellectus, & voluntatis divinæ, nihilominus tamen in Deo nullam dari contingentiam virtualem, aut aequivalentiam, quia dicit imperfectionem respectu Dei, imo si daretur in Deo, non sufficere ait hæc sententia ad formalem libertatem, & indifferentiam Dei; ita P. Herize, tom. 1. in 1. p. tract. 2. disp. 16. de libertate volitionis divinæ, cap. 7. per totum; notissime P. Alarcon 1. p. disp. de divina voluntate, & alij hanc sententiam defendunt. Probat P. Herize sic suam opinionem, primo hæc admirabilis distinctio virtualis divina hoc habet singulare supra omnes creatas virtuales, quod ratione eius sunt veræ propositiones contradictoriae in divinis, non autem in creatis; imo in rigore contradictoriae non sunt ex defectu identitatis; cum namque dicimus, contradictorias esse eiusdem, atque de eodem intelligere debemus de eodem, hoc est in distinctio realiter, & virtualiter distinctione virtuali divina. Quo circa cum dicimus essentia à Patre communicatur Filio, Paternitas non communicatur; non sunt propositiones contradictoriae, ut dixi: ergo pari ratione cum ab his magistris applicatur hæc distinctio virtualis libertati, constitui debent rationes virtualiter distinctæ, in Deo tamen formaliter existentes, de quibus veræ sunt propositiones alias contradictoriae: ut exempli gratia si dicamus, principium volitionis liberæ non est contingens, volitio ipsa libera est contingens.

Probo hanc consequentiam, quoniam aliud est distinctionem realem existere virtualiter tantum in Deo, hoc est cum realis actualis non sit, eam virtute esse ratione munerum, quod exercet, aliud est formalitates reales illas, inter quæ interest distinctio virtualis, tantum esse virtualiter, & non esse formaliter. Apertum huius rei exemplum est in essentia divina, & Paternitate quæ actu & formaliter sunt, licet non actu, sed virtute distinctæ: ergo simili ratione si inter principium virtuale, & actum liberum est distinctio virtualis, duæ formalitates reales formaliter in Deo existentes dari debent, altera, quæ sit principium virtuale, altera quæ sit volitio libera formalis, quæ quidē tamen si virtute tantum distinguantur formaliter in Deo sunt. Probo hanc consequentiam; nam si in Deo

non est formaliter volitio libera, atque formaliter principium illud virtuale (semper inexplicatum) non ponuntur extrema necessaria ad distinctionem virtalem, etenim omnis distinctio eo modo, quo est, non tantum requirit, hoc non esse illud & diuisum esse ab alio, sed etiam essentialiter prærequirit hoc & aliud: ergo dum non ponuntur extrema distinctionis non potest applicari distinctio.

Dices, extrema distinctionis esse principium virtuale virtualiter tantum, & volitio libera virtualiter tantum.

2 Sed contra primo: ergo non applicatur ea distinctio virtualis diuina, quæ deseruit fecunditati, sed alia, eaque difficilius, & admirabilis magis: probo consequentiam, quoniam illa solum veritatur inter formalitates in Deo formaliter existentes; nec per distinctionem virtalem aliquid suppletur circa modum existendi, sed tantum in ordine ad munera distinctionis, hæc autem tua versatur inter formalitates solum virtualiter existentes in Deo, & quod mirabilius est atque inexplicabile, præstat ut ratione eius distinctionis virtualis deit Deo eundem effectum formalem, non alter, quam si formaliter existerent, hoc mens non capit.

3 Contra secundo, si essentia diuina, & paternitas non essent formaliter in Patre, sed tantum virtualiter, ut singis, neque esset Deus formaliter, neque Pater formaliter prima persona diuinæ Trinitatis, quis hoc non videat? Rursus quia homo est tantum virtualiter in Deo, tantum est Deus virtualiter homo: ergo si tantum à te constituuntur virtualiter extrema eius distinctionis virtualis in Deo, & non formaliter, Deus nequaquam erit formaliter liber, formaliter volens producere creaturas, formaliter principium virtuale liberæ volitionis, sed tantum virtualiter; destruisque formalem diuinam libertatem, dum abusu distinctionis virtualis eam explicare niteris.

4 Contra tertio inter extrema, quæ tantum sunt virtualiter in Deo, non est distinctio ea mirabilis virtualis, ratione cuius licet vere formare propositiones contradictorias; v.g. quia homo, & equus sunt extrema virtualiter tantum existentia in omnipotentia Dei, de ea non licet affirmare simul continere hominem in sua virtute productice, & non continere: sed per te hæc extrema sunt tantum virtualiter in Deo: ergo tibi non licet inter ea constituere distinctionem virtalem singularem. Muor vero propositio vniversaliter vera est in omnibus, quæ virtualiter tantum sunt in Deo, nec habebit instantiam in aliquo à nostra quæstione distincto; instantiam vero subsumere ex ipsa re, de qua est concertatio, vitiolum est.

5 Contra quarto, esto verum sit, virtualiter tantum esse in Deo illa extrema. Peto anne distinguantur inter se distinctione mirabili virtuali an non? sed alia inferiori seu vulgari. Si primum ergo sunt in Deo existentes virtualiter rationes reales, de quibus veræ sunt propositiones contradictoriæ: da nobis ergo illas, vna erit principium virtuale virtualiter existens non est contingens altera: volitio virtualis virtualiter existens est contingens: de hac igitur volitione libera virtuali distincta virtualiter à principio virtuali eadem difficultates militant, quæ de formalis si eam existentem formaliter constitueres. Nam petere possumus an ea volitio virtualis in Deo sit Deus? an existat à te? an sit perfectio? an entitas realis? & cum per te pro priori naturæ ante

virtualem eliciendam potuerit non existere virtualiter, potuit quidem manere in esse possibili virtualiter idem, quod modo virtualiter existens est Deus in Deo cui existens à se, est perfectio, ensque reale: ergo contra tuam virtalem volitionem liberam locum habent difficultates omnes propter quas reiecit cap. 4. Caiet. & sequacium extensiuam per sectionem; si secundum: ergo non ponis principium virtuale in ordine ad volitionem liberam, ut probabam numer. 48, nam quo pacto sit principium virtualiter eliciens volitionem, si inter principium & volitionem non est virtualis distinctio.

Dices, te non constituere duas rationes, aut formaliter, aut virtualiter existentes virtualiter distinctas, sed vnā solam simplicem in Deo virtualiter æquivalentem duabus, non contingentem in se, virtualiter æquivalentem contingentem; sicut vna res in Deo ratione virtualis distinctionis æqualeat duabus in ordine ad munera distinctionis. Ita poni à te virtalem contingentiam in libertate diuina æquivalentem reali creaturæ, cum realis non sit, sed quæ ita se habet, ac si realis esset.

Sed contra hoc est; nam virtualis hæc contingentia ex parte Dei, qui est obiectum non est aliquam rationem formalem, aut virtalem in Deo existentem esse contingentem, sed tantum ita se Deum gerere, ac si contingeret vellet creaturas: ergo non est Deum esse liberum vere in se, sed ita se habere, ac si esset liber, cum tamen liber non sit. Confirmo, ex hoc quod essentia diuina in prima persona ita se habet in ordine ad Paternitatem, ac si reuera Paternitas ab ea fluere Logicali saltem emanatione, non esset sufficiens, ut reuera prima persona esset verus Pater, nisi veram, ac realem Paternitatem habeat, aut formaliter ut sit Pater formaliter, aut virtualiter, ut sit Pater virtualiter: ergo pari ratione si tua virtualis contingentia, nec ponit rationem formalem, nec virtuale in Deo contingeret existentem, sed tantum ita se gerere Deum, ac si contingeret vellet creaturas, cum tamen nolit contingeret ex parte formalitatum diuinarum, non ponis in Deo ratione eius virtualis æquivalentiæ veram libertatem, sed tantum ita se Deum habere in ordine ad creaturas, ac si esset liber cum tamen liber non sit.

Præter hæc vel cum aliquo fundamento in Deo dicis ita se habere, ac si contingeret vellet, vel sine fundamento ita singis, ut tueatis libertatem Dei. Si hoc secundum: ergo libertas Dei est quid à te fictum sine fundamento in ipso, quo nihil absurdus. Si primum, quodnam Deus præbet fundamentum, ut dicamus ita se habere ac si contingeret vellet.

Dices, quia libere vult creaturas, sed contra in tua sententia idem est libere velle, ac si contingeret vellet: ergo non das fundamentum, sed ais idem per idem.

Deinde argumentor in hunc modum, cum ais ita se habere, ac si contingeret vellet, atque Deum denominas realiter, & formaliter libere amantem creaturas, aut iste effectus formalis est realis, aut rationis. Non secundum, quoniam constitueres libertatem Dei in ente rationis, quod à nobis confutatum est supra cap. 3. & à te relapsum puitur. Nec primum, quia non habet formam realem in Deo existentem; nam ita se gerere, ac si contingeret vellet, non est in Deo existere ali-quid reale, quod antea non existerat; anne si deus nolisset condere creaturas, essetne in ipso aliquid

aliquid entitatis realis, quod modo non est? vel an modo, cum vult creare mundum, est aliquid entitatis realis, quod tunc non esset? nequaquam; posset quippe Deus realiter mutari, realem acquirere, & amittere perfectionem, quoniam omne reale perfectio est, ut contra Fomsecam docui n. 24. & 25, à qua forma reali tribuitur effectus ille formalis realis, qui modo est & tunc non esset; nulla sane assignari poterit; asserere vero, effectum formalem realem sine forma reali contra lumen naturale est.

Hinc cernitur extra rem adduci illud de distinctione virtuali diuina aequivalenti reali creatæ; Etenim distinctio hæc virtualis vere, & realiter, ac formaliter est inter absolutam, & relativam, inter intellectionem, & volitionem, eaque denominat virtualiter distincta; nulla vero realitas, aut formalitas est actu in Deo, quæ in se sit aliquomodo contingens, cum dicas, ita se habere tantum, ac si contingens esset, & hoc appellas esse contingentem virtualiter; negas autem in Deo esse quidquid contingens: ergo in distinctione virtuali formam habebis Deo intrinsecam, per quam denominantur distincta virtualiter diuina, quæ eam habent, non vero habemus formam liberam, aut contingentem in tua opinione, per quam Deus denominatur liberè, & contingenter volens. Porro cum dicimus, eam distinctionem virtutalem aequivalere reali, non est putandum aequivalere in ordine ad denominationem formalem, nec enim essentiam, & Paternitatem constituit actu formaliter distincta, sed tantum virtualiter, nec aliud mens capit; nimirum quod illa in se sit tantum virtualis distinctio, & quod essentiam, & Paternitatem actu realiter, & formaliter distinguat. Dicimus ergo aequivalere in ordine ad effectus distinctos, atque separabiles ab ipsa distinctione virtuali, ut ad communicationem essentia, non communicata Paternitate, qui effectus posterior origine est ipsa distinctione virtuali, quoniam in Patre pro priori originis ante generationem Filij præexistit distinctio virtualis, non vero communicatio naturæ, & non communicatio Paternitatis, quæ est pro posteriori; at tu ponis aequivalentiam in ordine ad immediatum effectum formalem, qui nulla actione distinguitur à forma communicata, quippe ponis ratione formæ virtualis, seu ratione nullius formæ, sed se habentis ut forma realis, formalemque denominationem liberè, & contingentem nolentis; ergo nec apte accommodatur distinctio virtualis ad diuinam libertatem, nec ea hac ratione defendi potest.

9 Formo tandem hoc argumentum; Deus potest & producere Christum Dominum ex fine nostræ reparationis & fine gloriæ suæ: pone productum ex utroque fine, denominabitur nunc liberè volens Christum duplici actu libero ratione nostræ; altero misericordiæ, seu liberalitatis erga humanum genus, altero charitatis propriæ: erga extrinsecam bonam, quæ sibi liberè amat. Si ex vno tantum fine produxisset, altera abesset realis denominatio; quia per te denominatio volentis liberè ex quocunque fine realis est; inquiri modo, abessetne à Deo forma realis, vel non? Si ab esset; ergo potuisset antequam eam habuit, non habere, aliquam ex realitatibus in ipso existentibus, potuissetque carere aliqua perfectione, quam modo in se habet, & per quam modo realiter est Deus, quæ omnia apud te merito absurda sunt. Si non abesset: ergo effectus ille formalis non habebat formam realem; probo hanc consequentiam: manet namque eadem realitas sine eo effectui for-

mali: ergo ille effectus formalis non proveniebat à realitate existente in Deo; aut si proveniebat; quare modo non dat Deo effectum formalem, & tunc daret, cum subiectum habeat totam formam, & capax sit effectus formalis.

Dices, tunc fieri deesse formam eius denominationis virtualiter, atque ex defectu virtuali sequi deficere denominationem formalem: virtualiter autem deesse nihil esse aliud, quam ita se habere, ac si realiter deesset; cum tamen realiter nihil desit à Deo.

Sed contra; cum ais virtualiter deesse illam volitionem, aut ex parte rei, intelligis, deficere aliquid in ipso, siue formaliter, siue virtualiter, siue existens, aut non: si nihil, ergo non potest negari manere effectum eundem formalem eundem realem; sicut dum est albedo in corpore mixto, & nihil ei detrahatur, aut entitatis, aut informationis, effectus formalis, ac denominatio albi perseveret, necesse est, quippe effectus, & denominationem distinguuntur ab entitate albedinis communicata subiecto: ergo pari ratione si liberè velle producere Christum Dominum propter illum finem est effectus, & denominatio realis, dum manet tota forma realis; quin per virtutalem non permanentiam quidquam illius definat esse necessario, atque inevitabiliter tribuet suum effectum formalem, nec aliud mens capit. Si intelligis deficere aliquid: ergo Deus carere potuit aliqua entitate à se, aliqua perfectione, quam modo habet: consequens hoc manifeste inferitur ex principiis, in quibus utriusque sentimus.

Deinde Pater Alarcon contra argumentatur sic; quia sequitur ex contingentia virtuali eadem certitudine, veritate & proprietate, quæ secundum scripturam sacram dicimus, Deum liberè voluisse creare mundum & esse libertatem volitionis in Deo posse dici in ipso esse verum accedens, esse veram, & propriam penitentiam, esse verum, & proprium dolorem, esse verum, & propriam mutabilitatem, esse peccabilem, & omnia prædicata alia, quæ de creaturis dicuntur, & cum diuinis attributis pugnant, consequens autem absurdissimum est, & erroneum: ergo & Antecedens; sequelam probo; Ideo dicitur Deus liberè volens; quia datur contingentia in eius amore, & quia licet formaliter non possit deficere eius volitio, tamen virtualiter defectibilis est, cum eadem invariata existens quo adesse possit dare denominationem formalem volentis, & nolentis; ita ut ex istius volitio non reddat subiectum, in quo est formaliter volens, magis quam si re vera non existeret in ipso; & ideo dicitur liberè volens formaliter.

Ex hoc colligo, omnia attributa Dei, volitiones, & intellectiones, proprietates personales, & relationes esse vera accidentia physica Dei. Exemplum adhibeo in relatione, verbi gratia, Paternitatis, tum quia notius est, tum etiam quia in sententia horum doctorum relatio distinguitur realiter virtualiter à veritate ipsa: probo ergo paternitatem esse, verum, & formale accedens physicum respectu substantiæ, & essentia diuinæ; quoniam accedens physicum formaliter in humanis duo petit, primum quod distinguatur realiter formaliter à substantia, secundum quod sit extra essentiam primam rei, & non sit in ea ut pars compositi; concors enim Philosophorum omnium sententia docet, in hoc differre substantiam ab accidente physico, & prædicamentali, quod substantia per se subsistat; accedens vero sit in alio: hoc posito sic argumentor, Paternitas diuina respectu Deitatis perinde se habet, ac si distingue

distingueretur realiter ab ipsa, & perinde se haberet, ac si inhaereret in ipsa, vt in subiecto: ergo formaliter est accidens reale. Antecedens probatur. Paternitas creata est accidens physicum formale, quia realiter formaliter distinguitur ab humanitate Petri, & in illa physice inhaeret formaliter vt in subiecto, non tanquam pars eius, neque vt terminus existentiae humanitatis, neque vnio intrinseca, sed totum hoc habet virtualiter realiter Paternitas diuina: ergo est accidens formale.

Minor quoad primam partem clare est quoad secundam partem sic probatur; quia paternitas realiter concipitur à nobis, vt modus quidam, non vnionis substantialis inter partes, quæ nullæ sunt in diuino ente, neque concipitur vt modus existentiae vltimæ diuinæ naturæ; quia paternitas, vt sic formaliter, non est substantia, sed alia formalitas adueniens personæ primæ generanti iam constitutæ in esse primæ personæ, & post actum primum, & secundum generationis; & in omnium opinione saltem relatio spiratoris non est formaliter substantia, & tamen distinguitur virtualiter à deitate, quæ communicatur Spiritui Sancto, cui non communicatur spiratio actiua: hæc ergo relatio est extra deitatem, non tanquam pars, neque vnio, neque vltimus terminus existentiae, & apprehenditur realiter à nobis, vt adueniens personæ per productionem; sicut Petro producenti filium: ergo perinde se habet realiter, ac si formaliter inhaereret: ergo est formaliter accidens.

Hanc consequentiam probatur: illa relatio habet virtualiter quicquid habet formaliter relatio creata, quæ est verum accidens formale; nam distinguitur virtualiter, & est extra integritatem eius, à quo distinguitur; sicut qualibet relatio creata id habet formaliter: ergo relatio diuina erit etiam verum accidens formale reale; ideo enim volitio diuina, alius summe necessaria in esse existentiae dicitur formaliter libera, quia virtualiter est contingens, & defectibilis, hoc est quia cum sit inuariabilis formaliter, perinde se habet, ac si variaretur: ergo similiter relatio diuina est extra integritatem personæ diuinæ virtualiter, licet sit substantia formaliter; nam perinde se habet, ac si esset extra eius essentiam, & integritatem, eo quod perinde se habeat, ac si distingueretur realiter: ergo est accidens formaliter.

II Probo vltimus Deum quoque dici vere, & propriè peccatorem; quia Deus in omnium opinione secundum fidem catholicam dicendus est concurrere cum creatura rationali ad materiale peccati, & immittere cogitationes multas, ex quibus scit multa futura peccata, quæ propterea dicitur voluntarie permittere. Probo non solum permittere, sed & velle, & peccare, suppono non minus pugnare cum summa, & infinita necessitate existendi, quam habet volitio diuina, contingentiam, & defectibilitatem realem formalem, quam pugnet cum summa, & infinita bonitate Dei peccatum: sed illo non obitante dicitur Deus formaliter libere volens; quia perinde se habet illa volitio necessaria, ac si esset contingens: ergo dicitur etiam Deus peccans, quia operatio eius, & voluntas infinita coniona summa regulæ perinde se habet, ac si esset dissoluta rationi, & moraliter deficiens à regula, ac proinde sicut ad libertatem physicam formalem sufficit sufficientia physica virtualis coniuncta cum summa necessitate existendi physice, ita ad libertatem moralem peccan-

di sufficit deficientia à ratione moralis virtualis coniuncta cum summa necessitate operandi bene iuxta rationem.

Iam vero quod diuina voluntas perinde se habeat aliquando, ac si deficeret moraliter à ratione, probatur, quia in creatis quicumque iuuat, & concurrat cum alio physice, vel moraliter ad opus peccati, & præbet occasionem positivam, ex qua scit peccatum alium, peccat sine dubio, & formaliter deficit à recta ratione, sed Deus ex infinita sapientia cognoscens futurum peccatum hominum voluntarie, & omnino libere immittere occasiones & cogitationes antedèter efficacissime pellicientes ad voluptates corporales, & iuuante cognoscit infallibiliter hominum voluntates sua libertate peccaturas, & insuper voluntarie concurrat physice cum illis ad consensum liberum hominum peccantium, quo concursu & cogitationibus deficientibus omnino non fieret peccatum in voluntate humana: ergo Deus in hoc casu potest dici peccator formaliter, sicut dicitur libere volens: probatur consequentiam in homine suadente alteri homini homicidium, & iuuante physice ad illud, non ex affectu iustitiæ, sed ex proprio commodo per homicidium oriundo, v.g. propter spem aduenda hereditatis est homicidium formale, quia illa suasio, & concursus physicus ad occidendum formaliter dissonat rationi, & realiter formaliter caret rectitudine debita.

Deus ergo sic suadens, & concurrens perinde se habet, ac homo; quia quod facit homo formaliter deficiens à ratione facit Deus non formaliter deficiens ab eadem, sicut deus libere vult; quia quod voluntas creata libere vult per formalem deficientiam physicam, facit Deus abique tali deficientia physica, & hoc est mirabile, vt creata voluntas non possit transire ab statu volentis, ad statum non volentis physice, & realiter manente volitione intrinseca, sicut cum erat volens, vti que quia licet maneat formaliter, non manet virtualiter: ergo deus ab statu operantis bene secundum regulam rationis poteris transire ad statum operantis contra rationem, & turpiter; quia licet in nobis, non nisi operatio turpis, nisi ad stante realiter priuatione rectitudinis debite in actu in illo concurrendi ad homicidium in vno fieri adstante virtualiter; quia licet in tali concursu, & suasionem Dei ad homicidium materiale sit, & adster summa regula, & honestas diuina formaliter, qua peccare non potest formaliter sicut nec volitio deficere physice formaliter, tamen talis honestas non manet virtualiter in tali concursu, & perinde se habet ad effectum honestatis, ac si non esset, siquidem in creaturis peccare formaliter, est sic concurrere, & sic deficit formaliter honestas: ergo eadem proprietate, qua dicimus, deum libere velle creaturas, dicitur etiam libere peccare.

Respondebis, non quodlibet prædicatum creatum formale debere concedi vno virtualiter, sed illud solum, quod necessarium fuerit ad explicandam aliquam perfectionem diuinam quale non est necessarium prædicatum peccatoris.

Solutionem hanc nullam prorsus esse manifeste demonstro, quoniam secundum veritatem catholicam omnes confitemur tanquam quid mirabile, & perfectissimum in diuina causa prima, vt possit voluntarie immittere cogitationes efficacissimas, ex quibus scit futurum peccatum ab homine, & ad opera peccaminosa concurrere, & nihilominus in his non peccet formaliter, nec vlla sit laesio peccati, sed summa honestas, quas cogitationes occasiones, & concursus ad illa opera nulla crea-

SECTIO II.

Nostre sententia ponitur & probatur.

tura ex quocunque fine bono & honesto potest honeste facere, si semel sciat, tale peccatum inde futurum, quam veritatem catholicam Patres, & scholastici fatentes docent id fieri à Deo; quia legibus non vincita est, eo quod sit summa regula, quia malitia oritur ex causa secunda; quas & alias rationes explicant, ut Deum immunem ab omni peccato præsentent, in eo concursu ad materiale peccati, sicut omnes catholici concedunt, Deum libere velle, quam libertatem amandi nulla creata voluntas habet, nisi per realem mutabilitatem intrinsecam, quam Deo concedere nefas est, & nihilominus reueremur in Deo ut quid perfectum posse velle & non velle absque sui mutatione intrinseca.

Illud obserua à recentioribus per audaciam dictum, nempe non esse inconueniens aliquid asserere in Deo esse verum accidens reale virtuale, quia licet Deus formalissime sit substantia, per æquivalentiam est accidens; nam id, quod formaliter sumptum in creaturis est imperfectum, virtualiter sumptum in creatore est perfectum; hæc omnia per audaciam assuntur contra Doctores omnes & Patres asserentes, in Deo nihil esse, quod vlla ratione mereri possit nomen accidentis realis, nisi tantum per intellectum & nostro modo concipiendi, secundum quem attributa dicuntur passiones, & proprietates essentia, ab illaque oriri; omnes enim Patres dicunt, quidquid est in Deo realiter esse Deum, & substantiam, & supra substantiam, & si aliquid probat ratio prædicta, euincit non solum virtualiter esse dandum accidens, sed etiam formaliter propter virtutalem absentiam, sicut datur formalis libertas in Deo propter virtutalem contingentiam.

Præterea à priori sic argumentor: Deus in aliquo signo ab æterno debet concipi, & realiter indifferens ad volendum, & non volendum creaturas, in quo signo intelligitur volens seipsum necessario ut summum bonum, & talis volitio indifferens ad hoc, ut sit volitio creaturæ, vel nolito ipsius, postea advenit secundum signum in quo iam libere dicitur determinate velle actu secundo creaturas, in quo signo iam non est indifferens realiter sed determinate amans illas realiter: in hoc ergo signo quid habet Deus in se, vel extra se quod non esset in primo? Respondent, nihil formaliter realiter: virtualiter tamen habet Deus totum illum actum denuo intrinsecum, quo amat creaturas, quas in signo antecedenti non amabat realiter, hoc est in hoc secundo signo ita se gerit Deus realiter, ac si denuo contingenter, realiter, physice, formaliter adveniret totus ille actus amoris ut realiter distinctus: quod si in hoc secundo instanti Deus nollet creaturas, quid ei deficeret? Respondent, realis entitatis formaliter physice nihil; virtualiter tamen totus actus intrinsecus amoris deficeret; quia in ordine ad denominationem amandi creaturas perinde se habet ille actus amandi, ac si realiter, physice, formaliter deficeret, sicut in creata voluntate deficit, & hoc est mirabile in Deo: sed hæc solutio falsa est; nam si in secundo signo nihil est intrinsecè in Deo, neque extrinsecè ex parte creaturarum, quod non fuerit in priori; quomodo mens humana capere potest in secundo signo prædicari de Deo realiter contradictoriam veritatem illi, quæ prædicabatur in priori?

I. P. Tom. II.

Prima conclusio, ad libertatem voluntatis diuine requiritur contingentia aliqua, quæ cum non possit esse formalis debet esse virtualis.

Probatur hæc conclusio, quia Deus quatenus libertatem habet in ordine ad creaturas, contingenter, & non necessario se exercet respectu illarum; vnde secundum fidem catholicam, & secundum lumen naturæ Deus non necessario amat creaturas futuras, sed potius cum indifferentia, & ita amat, ut poterit non amare illas; quæ indifferentia formalissime constituit libertatem: ergo verum est dicere Deum contingenter amare illas: patet consequentia: quia contingens, & necessarium opponuntur, sed non amat necessario: ergo contingenter amat: è contra vero, si diuinam voluntatem consideremus respectu ipsius Dei, nullo modo amat contingenter, sed necessario: quapropter ita determinate se amat Deus, ut non possit contingenter se amare; quia determinatus omnino est ad se amandum: ergo à contrario sensu si non est determinatus omnino ad amandas creaturas futuras, vel actuales cum contingentia, aut contingenter amabit illas: ergo ad amorem liberum circa creaturas necessaria est contingentia.

Vergetur, ac declaratur, non potest respectu eiusdem obiecti dari duplex volitio simul opposita, & ideo quia Deus se ipsum amat necessario, non potest habere oppositam volitionem respectu sui, scilicet amare contingenter, contingens enim, & necessarium ita opponuntur inter se, ut nullo modo compariantur simul in eodem subiecto respectu eiusdem; vnde cum Deus in entitate sua sit necessarius, non potest simul in eadem entitate esse contingens; & è contra, quia creatura est contingens, non potest esse necessaria quoad entitatem, & ideo colligimus creaturam esse contingentem, quia potest esse, & non esse; sed etiam Deus ratione libertatis potest amare, vel velle creare mundum, aut velle non creare illum: ergo in volitione Deus est contingens, sicut creatura in esse hoc est, quod sicut creatura est indifferens ad habendum esse, & non habendum esse; ita Deus est indifferens formaliter ad volendum dare esse, & ad volendum non dare esse. Quapropter sicut ex tali contingentia creaturæ colligimus manifeste, non dari in creatura oppositum talis contingentia: scilicet necessitatem inessendo; ita ex contingentia in amando colligimus non dari in Deo necessitatem in amando, & è contra quia secundum fidem catholicam credimus nullam dari necessitatem in Deo quoad dilectionem, & amorem creaturarum, ita manifeste colligimus, dari in Deo contingentiam quoad talem amorem; quare sicut quoad amorem sui est verum dicere, quia se amat necessario non potest se amare contingenter, ita opposito modo in amore creaturarum est verum dicere, quia non amat necessario creaturas futuras, vel actuales, amat contingenter illas, neque potest simul amare contingenter, & necessario easdem propter oppositionem, quam habent hi termini, contingenter, necessario, ratione cuius nunquam verificantur in eodem respectu eiusdem simul, ut patet ex oppositione modalium de quibus late egimus in Summulis.

Secunda pars propositionis seu conclusionis nostræ manifeste patet, quia contingentia formalis

E e e est